



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

Henricvs VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

HENRICVS VI.

FRIDERICO I. primogenitus filius Henricus, dictus VI. Rex in Imperio successit, patris ut appareat ex appendice Ottonis Frising. de S. Blasio cap 21. potius institutione, quam legitimâ Principum Electione. Sic enim ait; *liberosque suos omnes literis apprimè erudiri faciens, eos facultatibus reddituum, excellentijs dignitatum per sortitas prouincias delegaliter sublimauit*: Et post mox: *Henricum, inquit, qui prior natu erat Regem post se designauit*. Quod ut cum pace, & gratia omnium Procerum Regni factum videretur, & ratum haberetur, Anno, inquit, iste author, 1184. Fridericus Imperator sedatis in Germania cunctis bellorum turbinibus, generalem curiam cunctis Regni Optimatibus in Pentecoste apud Moguntiam edixit: ibique filios suos Henricum scilicet Regem, & Fridericum Sueorum Ducem gladio accingi, armisque insigniri dispositus. Ad hanc curiam totius Imperij Principes ut pro parte Franconum, Teutonicorum, Sueorum, Italicorum ab Illyrico usque ad Hispanias congregantur. Et ad finem capitis: feria secunda celebratis manè Missarum solennijs filij Imperatoris Henricus Rex, & Fridericus Dux armis præcincti, militarique palastra exercitati militia cingulum sumpserunt, tractatisque diuersis Imperij

ab imperatore negotijs, quarto die ad propria cum gaudio recesserunt. Quid verò hic Henricus, taliter à patre Rex designatus, & publicè armatus? Anno, inquit idem author 1190. Filius Friderici Imperatoris Henricus Rex contracto exercitu Alpes transcendens Italiam ingreditur, indeque ad urbem tendens à Cœlestino Papa gloriose suscepitus, ab eoque omnium Romanorum fauore vna cum Coniuge in die S A N C T O P A S C H A E coronatus IMPERATORIS & AVGVSTI nomen nonagesimus quintus ab Augusto sortitur. Hunc fauorem Romanorum auaritia eorum maximis muneribus satisfaciens promeruit, & addit: Imperium in hoc non mediocriter dehonestauit. Vrspergensis in Chron. ad ann. 1191. quo regnare coepit Henricus, prius tamen, inquit, à Patre Rex designatus fuerat, & de consensu Principum coronam Aquisgrani accepserat.

PHILIPPVS.

MORTVO Henrico VI. contigit in Imperio schisma per discordem Regni procerum electionem, aliorum Philippum, Frederici Barbarossæ filium, aliorum verò Ottонem, Henrici Leonis Ducis Brunsvicensis filium eligentium. Historiam describit in Chronicō Hirsaugensi ad ann. 1192. scriptor